dominus deus israhel qui dedit hodie in de semine meo sedentem in throno meo et
oculi mei vident. si erravit. si offendit. vides quo promissi seri-
es christum spopondit. Et ideo istos duos generis auctores euangeli-
sta delegit. unum qui promissum accepit de congregatione populorum. alte-
rum qui de generatione christi oraculum consecutus est. Et ideo licet ordine
sit successionis posterior. prior tamen quam abraham in domini gene-
ratione describitur. quia plus est promissum accepisse de christo quam de
ecclesia. quoniam ecclesia ipsa per christum. Ergo unus princeps generis secundum
carnem. alter princeps generis secundum spiritum. alter secundum seminis gratiam. alter secundum
populorum fidem. Potior enim qui salvat eo qui salvatur. et ideo david filii dixit li-
bri generationis iesu christi filii david. Eius enim primo loco debuit filius
dici. cui clare filius est promissus. licet apostolus et abrahe christum dicat
esse promissum. Abrahe enim dicte sunt promissiones et semini eius. Non
dicit et seminibus tamquam in multis. sed sicut in uno et semini tuo qui
est christus. ut alteri propterea generationis principatus alteri deferre-
tur. Illi delatum est ut in hoc eius filius diceretur. huic quasi principi familię
gentiumque prerogativa servatur. ut ab abraham generationis dominicę
manaret exordium. Qui enim fidei auctor est. ipsum asserere scriptura
quoque debuit divinę generationis auctorem. Unde et lucas ad deum
putavit originem eius esse referendam. quod verus christi generator
deus sit. vel secundum veram generationem pater. vel secundum lavacri rege-
nerationem mysticam auctor muneris. et ideo non a primo generati-
onem eius cepit describere. sed postea quam baptismum eius explicuit. au-
ctorem omnium deum per baptismum cupiens demonstrare. christum
quoque a deo ordine manasse successionis asseruit universa conte-
xens. ut et secundum naturam et secundum gratiam et secundum carnem dei fili-
um demonstraret. Quid autem evidentius divinę generationis indici-
um. quam quod de generatione dicturus ipsum patrem premisit loquentem.
hic est filius meus dilectus in quo conplacui. Hic quoque aliqui solent fer-
re questiones. quod matheus ab abraham usque ad christum XLII duas ge-

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 74 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/74)